

1075.
tionē Angelorum, ita tamen, ut simul includatur officium;
& sensus sit; *Faciens Angelos suos, i. e. creans Angelos suos
veloces.* Quæ explicatio est cœteris præferenda, ceu late
hæc deducunt Theologi; quibus hanc rem discutiendam re-
linquimus, nobis autem hæc enarrasse sufficiat, ne falcem
in alienam messem misisse dicamur.

§. 13. Est autem Angelus *Spiritus finitus & completus.*
Ubi præsupponitur eum esse substantiam, quippe quæ de Spi-
ritu quidditative prædicatur, & consequenter qq de Ange-
lo; patetque hoc inter alia ex eô, quia Angeli sunt nobilio-
res quo vis corpore, & apprehenduntur tanquam entia intel-
lectualia sive intelligentia, at hæc non conveniunt nisi sub-
stantiis. Deinde si Angeli non essent substantiæ, essent ac-
cidentia, & consequenter essent in subjectô aliquô, quod ab-
surdum. Illud enim subjectum aut esset immateriale, aut
materiale & corporeum: immateriale ostendi non potest,
illud enim aut esset DEUS, aut anima rationalis, quia præ-
ter DEUM & animam rationalem nullæ aliæ sunt immate-
riales substantiæ; at verò absurdum est, Angelum esse in
DEO vel animâ hominis tanquam in subjectô: Nec mate-
riale potest esse illud subjectum, quia Angelus nullam habet
proportionem ad subjectum materiale & corporeum.

§. 14. Dicitur autem Angelus (1) *Spiritus*, quâ vo-
ce distinguitur à quôvis corpore, cui opponitur Sipiiritus.
Quum verò vox Spiritus valdè sit ambigua, paucis notasse
juvabit varias illius acceptiones. In Theologiâ seu Sacrà
Scripturâ quot modis sumatur, Theologis explicandum re-
linquimus. In Philosophiâ sumitur (a) *falsò*, quatenus à
Platone & Platonice fingitur Spiritus pro mediâ quâdam na-
turâ inter animam & corpus, ut dissimiles naturas uniente,
hinc nonnulli tres hominis partes somniarunt, quas
refutavit B. Sperlingius in Anthrop. Procem. c. 2. q. 5. (β)
Impro.